


05

A

1681









25  
2

25.  
Q. D. B. V.  
EXERCITATIONEM METEOROLOGICAM  
DE  
IRIDE

*In illustri ad Albim Athenæo*

A. D. XXVIII Decemb.

A. S. M. DC. LIX.

Horis Matutinis in Auditorio Minori

disquisitioni sistent publicè

PRÆSES

M. JOHANNES CHRISTO.  
PHORUS LETSCHIUS

Monsterberga Silesius

&

RESPONDENS

JOHANNES SCHRÖTERUS

Brega Silesius.

---

VVITTEBERGAE,  
Typis Johannis Haken.



Q. D. R. V.  
METEOROLOGICAM

TRIDE



05 A 1687

JOHANNES SCHROETERUS

BRUNNEN

1937. 4424







I. N. J.

## PRÆLOQUIUM.



uanquam quævis Dei gloriosissimi Creatura, satis in se habeat dignitatis & pulchritudinis, ut quemlibet mortalium ad sui considerationem iuxta ac admirationem possit excitare, præ cæteris tamen coloratus ille cœli arcus, quem Iridem nuncupamus, id ipsum præstare videtur. Vix enim dabitur ullus, cujuscunque etiam gentis aut mentis fuerit, qui sine summa admiratione extensum illum, per cœli spatium, collustrabit semicirculum. Cujus visum non reficiet mirificè, amoenissima illa colorum varietas? Quem non in admirationem rapiet, artificiosa illa pariter ac vastuosa Iridis extensio, quâ ab utrâque parte terram tangens ad altiora montium cacumina ascendit? Quem non excitabit cœlestis hujus Semicirculi rotunda æqualitas & æqualis rotunditas, qua se per totam istam, quam occupat *περιφέρεια* maximoperè reddit commendabilem? Et quæ sunt alia plura, quemlibet summoperè ad hujus meteorum collustrationem excitantia, quæ hic brevitas causa omittimus. Hinc non abs re est, quod *Ecclesiasticus in capite XLIII. v. 12.* quem libet hisce alloquatur verbis: *Vide arcum & benedic ei qui fecit eum valdè speciosum splendore suo.* Quibus verbis non modò illecebras illas, quibus Iris quemlibet spectatorem ad sui admirationem satagit inescare perstringit; sed & officii sui eum commonefacit, ut ab effectu ad causam progredi, eamque laudum encomiis extollere debeat, & ab hâc Iridis elegantia ad summam DEI, Entis pulcherrimi pulchritudinem concludere, cum & ipse Spiritus Sanctus non vereatur, ineffabilem DEI pulchritudinem, cum Iridis pulchritudinè in nubibus apparente conferre, apud Prophetâ *Ezechielè cap. i. v. ultimo*, Animus ergò nobis est, elegantissimum hoc Dei gloriosissimi opus, quantum fert ingenii nostri imbecillitas, exercitatione hâc perustrare, & quæ de Iride notatu digna fuerint proponere. Faxit Deus ut hoc institutum nostrum





nostrum cedat in nominis divini gloriam & nostrorum omnium frugem.

MEMBRUM I. Ονομασολογικόν.

§. 1. Cum sine ordine neque consistat quicquam, neque procedat ritè nobis hic laborandum erit, ac dispiciendum solerter, quid primò, quidque secundo loco tractare oporteat, A nomine auspicandum esse Aristoteles in Libris suis Analyticis, & subtilitatis Magister, Scaliger in Exercitationibus suis, passim inculcant. Nomen enim est rei nota quæ nobis ad clariorem rei demonstrationem plurimum præstat monente Zabarella de tribus præcog: Cap. 3. Nominibus etiam tanquam radio textorio rationes & orationes anima nostra pertexit, monente Sebeckio πρὸς ἑρμην: p. 92. Non ergò ἀμεθόδως procedemus, si à limine nostræ disputationis nominalem Iridis proposuerimus descriptionem.

*Etymologia.*

§. 2. Iridis denominatio, (ut ab Etymologiâ incipiamus) in Græcia quidem nata, sed in Latio educata ac civitate latina est donata. Rupertus putat nomen hoc deducendum esse ἀπὸ τῆς εἰρήνης à pace. Origenes Lib. 13. cap. 10. ab aere producit inquit: Iris est quasi aeris, quod per aerem ad terram descendat. Alii Iridem dictam esse putant ἀπὸ τῆς τρεῖν χεῖρῶν κινεῖν τὸν ὄμβρον quòd fervet moveatque pluviam. Eustathius verò omnium rectissimè derivat ἀπὸ τῆς εἰρεῖν quod est, prædicere, nunciare, narrare, quæ derivatio congruit cum officio & effectu Iridis, vel, quod de voluntate Dei nos informet, ac de ejus benevolentia nos certos reddat, vel quod indicet pluviam aut serenitatem, teste Arist: Lib. 4. Meteor & de Mundo cap. 4. Undè locum hic habet commune illud axioma:

Conveniunt rebus nomina sæpe suis.

*Homonymia.*

§. 2. Cum autem rerum pluralitas ac verborum defectus, eò nos adegerint, ut multas res uno insigniremus nomine, factum est, ut fermè pleraque vocabula sint πολύσημα & ὁμώνυμα. Accidit hoc ipsum etiâ Iridis vocabulo, quod πλεοναχῶς sive πολλαχῶς dicitur, & facile nobis, nisi ab hac ambiguitate liberetur tempestivè, remoram euntibus injicere posset. Monemus ergò Iridem nobis hic non significare gemmam, quæ ob habitus simili-

tudi-



tudinem sic dicitur *Plinio Lib. 3. cap. 9.* Hæc si formā habet sex-  
 angulam, exposita Solis per fenestram penetrantibus radiis,  
 arcus cœlestis in aduersum parietem jacit colores, teste *Jonsto-*  
*nio in Taumatogr. p. 150.* Neq; hic nobis denotat *aromatoriam*  
*herbam* illam, quæ colorum varietate Arcus cœlestis speciem  
 referre solet, de qua memorat *Plinius Lib. 2. & B. Sennertus in*  
*Scientia naturali Lib. 4. c. 4.* Huic Herbx associant alii flores il-  
 los, quos Germani nostri vocant *Blawe Lilien / oder Weilwurhl*  
 eosq; Iridis nomine designant: Sed solūm nobis hic significat  
 Iridis vocabulum *imaginem arcus in aëre representatam*, quæ  
 acceptio & frequentissima est & ad propositum nostrum uni-  
 cè spectat.

§. 4. Aliis etiam insignitur nominibus, ac egregiis, cum  
 & res egregia sit, maestatur honorum titulis. *Ebrais* dicitur cō-  
 munitè *קשת* quod arcum sonat, quo utuntur jaculato-  
 res. *Hieronymus* vult ad Iridem alludere Chaldæum *קשת* quod  
 significat vigilem. LXX. omnipotentis Dei verba de Iride sic  
 exprimunt: *τὸ τόξον μὲν ἴθιμι ἐν νεφελῇ.* In *Theologorum*  
*Scholis* vocatur Arcus clementiæ divinæ. *A Poëtis* dicitur nun-  
 cia Junonis i. e. aëris à quo imbres, exponente *Taubmanno in*  
*Lib. Geor. Virgilii & Turneb. L. 29.* Vocatur à *Platone* Filia Thau-  
 mantis i. e. Dei quam maximè admirandi. *A Pythagora* divi-  
 ni splendoris imago. *A Philone* multifarium lucis decus. *A*  
*Macrobio* benignissimum Cœli prodigium. *Ab Homero* Astro-  
 rum Lingua. Vocatur etiam *Ethnicis* Deorum Mercurius, &  
*Anaxagoræ* præludium serenitatis. *Germanis* dicitur *Ein Re-*  
*genbogen* / quâ denominatione ad figuram simul & significa-  
 tionem ejus, quod tempestatis sit indicium, secundum non-  
 nullos, respiciunt. Et ut paucis multa dicam, vix est ali-  
 quid sub Cœlo, quod pluribus & pulchrioribus gaudeat titu-  
 lis & Epithetis inter eruditos, quàm præsens hoc nostrum  
 Thema.

*Synonymia*

MEMBRUM III. Πραγματιολογικόν.

SECTIO I. proponens *ἑρασκουήν.*

Artic. I. *ἀφρουens* Iridis Existentiam.

§. 5. A nomine ad rem ipsam statim progrediendum es-

A 3

set,



set, nisi quædam in antecessum præmittenda hic sese offerrent, quæ tractationi nostræ feliciter polliceri videntur progressum. *Existencia* nempe Iridis & *Sedes ejusdem disciplinaris*. De utroq; quædam præmonere ipsa necessitas pariter ac methodi ratio postulare videtur. De *priori* quidem ideò, ne flocci habere videamur gravissimum illud Aristotelis monitum, quod *L. 2. Post. Analyt. c. 9.* extat: ἀδύνατον εἰδέναι τί δέν ἀγνώσκας εἰ εἴη. De *posteriori* verò, ne sine lege, nostra hæc, hinc & illuc, ruat dissertatio, sed certis unius Disciplinæ includatur cancellis ac omnis μεταβάσις εἰς ἄλλο γένος evitetur feliciter.

§. 6. *Existenciam quidem* Iridis operosè ut probemus, operæ pretium esse non videtur, tùm quia & Scriptura & sana ratio & sensuum judicium hæc de re, infallibile præbeant testimonium, cùm quia hæc in parte non adeò multos habemus contradicentes, nisi huc trahere velimus, quod quidam faciunt, vel *Seneca effatum, qui Lib. 1. quest. nat. cap. 16.* vocat Iridem nudam sine re similitudinem, & *Cardani dictum* asserens *Lib. 4. Academicorum ac Democriti Sententiam*, quæ de omnib<sup>9</sup> dubitandum esse, docuit, ideò, quia omnis cognitio nostra intellectiva à sensu dependeat, qui non nisi fallere potest. Sententiæ hujus refutationem vide *apud Franciscum Abra de Raco- nis disp. 1. de Demonstr. quest. 2. art. 1. p. 148.* Prætermissa autem horum Examinatione in propatulo esse ducimus Iridem in rerû natura existere, existencia quidem non tali, quali existit homo, canis, nigredo aut albedo, existencia tamen vera, quæ extra fictionem intellectus est & tali, qualem conditio Iridis admittit. Talia enim sunt prædicata qualia præmittuntur esse à suis Subjectis.

*Artic. 2. Sedem disciplinarem Iridis constituens.*

§. 7. Cæterum unam eandemq; rem in pluribus sæpè Philosophiæ disciplinis pertractari sine omni confusione, sub alio atque alio formali & respectu, in Philosophorum Scholis est notissimum. Ita Iris etiam præcipuè consideratur partim in Optica, partim in Physica. In Optica quidem primariò cum relatione ad visum, & quomodo lineæ ejus sint visivæ, quoq; pacto radii incidentes fracti atq; reflexi atcū representēt oculis, & quæ



quæ sunt alia quæ certis demonstrationibus de Iride in optica proponuntur. In Physica verò quatenus à causis naturalibus oritur & corporibus naturalibus accidit. In præsentiarum opticam Iridis considerationem atque varias tales demonstrationes jure omittimus, quas qui desiderat, adeat *Joh. Fleischeri Tractatum de Iridibus*, consulatq; *Vitellionem*, *Keplerum*, *Rhodium* aliosq; opticos præstantiores. In Physicorum ergo solum curremus circo, consideraturi quæ Physici circa Iridem proponere possint & debeant.

§. 8. Dubiam nobis hanc Sedem Iridis non nemo reddere posset, *vel ex eo*, quod ipse Salvator noster *Luc. 22. p. 9.* interdiceret videatur omnem meteororum, ex quorum numero Iris est, speculationem, inquit: *μη̄ μετεωρίζεσθαι*: *vel ex hoc capite*, quod secundum nonnullorum sententiam Iris non sit opus merè φυσικόν, sed θαυμαστικόν & non formetur, quamvis etiam omnes adsint causæ, nisi quando liberrimæ DEI Voluntati visum fuerit. Physicæ autem incumbit res naturales, non verò supernaturales sive miraculosas, utpotè extra Sphæram suam constitutas, perpendere. *Vel deniq; ideò*, quia Iris nec est Species Corporis naturalis nec faciem quâ apparet realem habet. Scientia enim non nisi realia considerare debet.

§. 9. At enim verò tanta hæc non sunt, quo Iridem de sede suâ turbare possint. Voces enim *μετεωρίζεσθαι* & *μετεωρίζεσθαι* ambiguae nimis sunt & notant *modò* sublimè aliquod in aere sive ipsa Meteora de quibus Aristotelis habentur libri quos inscripsit *μετεωρολογικὰ*: *modò* erectum quid. Sic Equum posterioribus pedibus insistentem: *μετέωρον* vocavit *Xenophon de arte equitandi*: *modò* erectum, ad rem aliquam intentum & desiderio alicujus rei flagrantem. Quæ ex his significationibus in Salvatoris nostri verbis locum habeat, ex Scopo & antecedentiũ cum consequentibus collatione patet. Vult autem eos dehortari à pusillanimitate, & vanæ terrenorum solitudine, ne nimium intenti sint ad terrenorum possessionem, sed primò quærant regnum DEI, nullatenus autem de Meteoris ullo modo ibi mentionem facit. Deinde, quod Iris sit opus DEI miraculosum



raculosum ac ab extraordinaria & absoluta DEI voluntate de-  
pendens adhuc sub iudice lis est, & infra ostendetur à causis  
naturalibus in prima creatione institutis oriri Iridem. Deniq;  
Scientia non considerat modò corpora naturalia sed & eorum  
affectiones & quæ iis accidunt ex quorum censu utiq; est I-  
ris. Et quamvis realem faciem non habeat eo sensu, quo gran-  
do, nix, pluvia, realia sunt, reale tamen est hoc sensu, quate-  
nus Enti Rationis ac Enti ficto opponitur & datur nobis non  
cogitantibus, quare adhuc aliquam in Scientia sibi vendicat  
sedem, vide plura apud B. nostrum Sperlingium omni laude superiorē  
in *Instit. Physicis Lib. 5. de præcept. in gen. p. 980.*

SECTIO II. expediens ἐργασίας.

Artic. 1. adducens Definitionem.

§. 10. *Subtilis Scaliger Lib. 1. de Plantis inquit. Nihil corda-  
to viro est dignius quàm definire. Nobis hoc dictum hic esse pu-  
tamus. Postquam ergò excusimus ea quæ temerè prætereun-  
da non erant, ad definitionem Iridis recto tramite accedimus,  
quæ ita habet. Iris est Meteorum Emphaticum in Ἔ ἀ guttulis a-  
queis ex radiorum Solis oppositi receptione, fractione Ἔ refractione  
genitum arcum varicolore oculis spectantium exhibens.*

§. 11. Descriptio hæc resolvitur in conceptum contrahibi-  
lem & conceptum contrahentem. Contrahibilis genus Iridis no-  
bis exhibet, quod est Meteorum Emphaticum. Meteorum I-  
ridem esse extra omnem controversiæ aleam positum est. Tò  
emphaticum autem additur, partim ideò, ut vocis Meteorum lati-  
tudo restringatur ad certam speciem, partim etiam ut Iris ab  
hypostaticis, aqueis sc. spirituosis & ignitis secernatur meteo-  
ris. Emphatica autem dicuntur hæc meteora, qualis Iris est,  
eo sensu, quod apparentia solum sint, nec realem qua visuntur  
faciem habeant, sed tantum species, ἐμφασις ac figura illorū  
se se ostendat. Absolvit ergò hoc prædicatum, quod Iris sit Me-  
teorum Emphaticum, proximum ac adæquatum ejus genus  
quod in descriptione hæc ponendum erat.

§. 12. Admittit interim Iris prædicata alia essentialia,  
ex quibus non postremum est quod sit Accidens. Omnia Me-  
teora quatenus talia & formaliter considerata non nisi mera ac  
pura



pura sunt accidentia. Cum enim effluviis variæ impressio-  
nes accedunt, eis nulla substantia aut corpus superadditur,  
sed nil nisi forma merè accidentalis. Una semper eademque  
manet materia, & extrinsecè saltem accidentaliter aliter atq;  
aliter disponitur. Accidentalis autem rei variatio substanti-  
am aliquam corpoream producere nequit.

§. 13. Adversantur nobis hâc in parte illi, qui in genere  
docent omnia Meteora esse corpora imperfecte mixta eaque sic esse  
definienda, quamvis pleraq; ab accidentali forma suam sortian-  
tur appellationem. Sic Iris, inquit, non dicitur Meteorum  
propter colorem, aliàs ipsi colores Meteoro darent esse, sed pro-  
pter id cui colores insunt. Hinc patet, qua ratione ἐμφάσεις  
dicantur Meteora, non quatenus tales sunt, sed quia fundantur in  
Meteoro hypostatico, eique inhæret, verba sunt Hippii in *Problem-  
Physic: probl: 31. p. 375.* Et quamvis cogantur rei veritate convicti  
concedere, Meteora Emphatica dici posse accidentia, ea tamen  
solum esse Meteororum ὑποστατικῶν utpotè Substantiarum, acci-  
dentia contendunt, simulque dicunt, quamvis quædam Meteo-  
ra planè non sunt corpora, quia tamen potiora ac præstantiora  
Meteora sunt corpora, sequi omnia Meteora esse corpora dicen-  
da, cum quia à potiori denominatio fieri debeat, tum quia con-  
suetudo jam olim id obtinuerit, vide *Instit: Physicas Jacchei Lib.  
7. cap: 1.*

§. 14. A veritate autem procul dubio aliena hæc est opi-  
nio, cujus argumenta alibi copiosè refelluntur. Nobis cum  
brevitatem leges injungant, hoc solum hic notamus, quo nervus  
controversiæ hujus incidi posse videtur. Meteora sumi possunt  
atque considerari vel concretè, quatenus in Meteoro expenditur  
& forma accidentalis & subjectum cui ea inhæret: vel abstractè,  
quatenus sola forma accidentalis præciso Subjecto cui inhæret  
consideratur. Hoc modo posteriori nullum Meteorum consi-  
deratum ad Substantiæ aut corporis dignitatem accedit, sed est &  
manet accidens. Priori modo potest vocari Substantia vel cor-  
pus, sed loquendi modo ἐξωτερικῶν & minus accurato. Nam  
Meteora abstractè sunt sumenda à Physico ut eo melius propria  
eorum ratio pateat, cum hac consideratione concreta, ipsorum  
B forma-



formale non absolvatur, neque cognoscatur sufficienter, quod in corpore tanquam in Subjecto sint, cum id commune omnium accidentium sit requisitum esse in Subjecto.

§. 15. *Conceptus contrabens* differentiae vices nobis exhibet, & desumptus est, *partim à materia*, quam exhibent nobis guttulæ aqueæ, *partim à causa efficiente proxima* quæ est radiorum solariū receptio, fractio atque refractione, *partim à forma externa* quæ ar cū variis coloribus pictum exhibet, *partim denique ab objecto* quod est oculus spectantis, cujus mentio etiam facienda erat. Habet enim Iris respectum aliquem ad visum nostrum, ut rectè is si eam videre debet sit constitutus, quod tradit *Aristoteles Lib. 3. Meteor: cap: 4.* Iridem nempe non cadere sub nostrum visum, nisi si- mus inter nubem, qua Iris splendet & Solem ipsum constituti.

*Artic: 2. ostendens Materiam.*

§. 16. Eucleata Definitione ad *Materiam Iridis* perlustrandam dilabimur, quæ neutiquam prætermittenda est. Cum enim Accidentium esse sit inesse, commodè fieri non potest, ut accidentis cujusdam singularis ratio explicetur sufficienter nisi ejusdem subjectum in hæsiōnis indicetur simul. Materiam Iridis autem non habemus hic productionis, sive Materiam ex quâ cum corpus non sit, sed solum Materiam in quâ, sive inhæsiōnis. Quærimus ergò hic, non de materia Iridis, ex qua Iris facta quâdam  $\gamma\epsilon\nu\acute{\epsilon}\epsilon\iota$  fiat suamque  $\upsilon\pi\acute{o}\sigma\tau\alpha\iota\upsilon$  habeat: Sed nomine materiae hic illud corpus intelligimus, circa quod radii Solis vel Lunæ incidentes ad visum reflectuntur, & hæc reflexione arcum varicolorefformant.

§. 17. De hac verò non adeò inter se consentiunt Physicorum scripta. *Seneca Lib: 1. quæst: nat. cap: 3.* pluviam Iridis materiam esse censet. *Alii* vaporem roridum & concavum materiam constituunt, quo superficie interiori sive concava, quæ universo centro, globo terreno se obvertit radiorum cœlestium ictu pateat. Roridus verò ideò quod dissolvi paulatim in Corpuscula  $\sigma\phi\alpha\rho\sigma\epsilon\acute{\iota}\delta\eta$  incipiat ut singulæ aspergines singula  $\epsilon\nu\sigma\pi\lambda\epsilon\alpha$  suppeditent, vid: Scaligeri Exerc: 16. Sect: 2. *Alii* nubem efficiunt causam materialem Iridis talem tamen, quæ rorida est, & pro-



proximè in aquam solvi potest, partimque translucida sit, externa facie qua nos respicit, ut sic facilè injectum lumen possit imbibere: partim opaca videlicet à tergo, ut lumen percutiat mors speculi, à quo imagines resiliunt: vide *Jacchaum Instit. Physic: cap: 12. p. 236. Conimbr: in Lib: Meteor: Arist: tract: 5. cap: 2.* Ipse Aristoteles etiam Materiæ loco ponit Vaporem roridum i. c. eum, qui in guttas condensari, sive in suam pristinam naturam aqueam redire incipit, ita tamen, ut nondum sit aqua vel pluvia, sed ὕδωρ ἀρχόμηνον γίνεσθαι ἔτι. Hæ condensatæ partes secundum Aristotelem ἐνοπτρα dicuntur, quod sint instar parvorum speculorum tersa & polita à quibus reflectio ad visum fiat.

§. 18. Omissa prolixiori sententiarum recensione & earundem ventilatione simpliciter statuimus *aqueas guttulas minutiores materiam esse Iridis.* Huic enim in Scholis nostris receptæ sententiæ quam maximè favet, certum ac indubitatum illud experimentum Occipite Soli obverso, ore vel alio instrumento aqua spargatur in locum radiis Solis collustratum, ita ut aqua suam continuitatem amittat & in plurimas, easque exiguas guttas resolvatur, quo facto Iris quasi in illis guttulis videbitur. Idem etiam observari poterit ubi aqua per remos diffusa, vel ex saxo præcipiti lapsu decidens, ad radios Solis dispergitur. Et qui aquam aut urinam etiam ex alto demittit, Iridem in guttulis spectat, si situm debitum observat. Idem videtur etiam in fistula aliqua parte rupta, si aqua per exiguum foramen elidatur, & contra Solè spargatur, ut tamen Oculus videntis medius sit, inter, Solem & guttulas illas. Vide *Senecam Lib: 4. c. 9. p. 345. & incomparabilem nostrum Sperlingium Inst. Physic: Lib. 5. cap 10. & B. Sennertum in Clav: Scient: nat: lib. 4. c. 9. p. 345.* Quæ experimenta procul dubio hoc evincunt, quod non minus in media quam in inferiori aeris regione, aqueæ guttulæ id præstare possint in quo incidant radii solares & reflectantur. Quomodo autem aqua aliàs natura sua gravis eo ascendat, alibi expeditur. Propter ignem nempe sibi adjunctum, à quo resolvitur in vaporem & simul ad secundam aeris regionem rapitur, à quo hoste deinceps cum liberatur, ad pristinum suum redit statum, atque locum suum petit naturalem.

B 2

§. 19. Sicut



*Artic: 3. exhibens Formam*

§. 19. Sicuti materia nulla fuit productionis aut Constitutionis, ita etiam nulla datur *Forma* Iridis constitutiva, quæ aliàs Corporibus dat esse, distingvi & operari: Sed habet saltem *Formam* externam, sive figuram, quæ hic consideranda venit. Considerabimus autem illam, melioris distinctionis ergò tum *ratione quantitatis*, cum *ratione qualitatis*. *Ratione quantitatis* considerata figuram Semicirculi exhibet. Ob illam Arcus appellatur, qui dimidio circulo vel segmento non solet esse major. Hujus semicircularis *ἐνδειξις* vide ap. *Plinium Lib: 2. cap: 59.* & *Senecam cap: 8.* item *Scaliger: in Exer. 80.* Adjungimus hic voluntatem summi Architecti, quæ figuram hanc Iridem in prima Creatione habere jussit, & reliqua esse in Iride, quæ sunt maximè admiranda. Consueto atque *ordinario* igitur modo Iris arcum refert, extraordinario verò modo atque insolito aliam figuram ex singulari Dei dispensatione repræsentare posse non inficiabimur. Novi enim nihil est, ut sub meteoris causa suprema agat non nunquam, atque aliquid indictum velit.

§. 20. Ad *extraordinariam* ejus modi Iridis apparitionem referendum est quod *Cedrinus fol: 359.* refert tempore constantini Pogonati tam in solitæ figuræ Iridem fulsisse, ut vulgò diceretur finis mundi instare quam secuta sit Saracenorum in Thraciã irruptio. Et *B. Lutherus testatur* se vidisse Wittebergæ Iridem circulariter rotundam & undique clausam. *Recentiores* quidem disputant Iridem, quatenus in se consideratur, esse rotundam, nobis autem portionem ejus tantum apparere. Undè *Franciscus Picus Mirandula Comes Lib: 2. de Studio Doctrina & humana Philosophie cap: 3.* testatur se florentiam proficiscentem vidisse Iridem circulo verè completo. Sed respondet his *Vitellio Lib. 10. perspectiva dist: 69.* (citante *Magiro*) quòd non sit verus arcus, sed ex reverberatione tantum luminis Solis ortus.

§. 21. *Ratione qualitatis* verò forma Iridis considerata est pulchritudo oculorum eximia quæ ex diversorum colorum varietate originem ducit. Hanc insignem pulchritudinem ipsa Sacra extollit pagina apud *Siracidem cap: 43. v. 12.* Vide arcum & benedic ei, qui fecit eum, valde speciosus est in pulchritudine sua, & *cap: 50. v. 7.* eandem adducit ad declarandam *Oniæ summi Sacerdotis*



cerdotis majestatem & formositatem quando in ornatu suo extra domum velamenti sit egressus, dum ait ipsum fuisse quasi arcum illuminantem nubes gloriae. Huc referendum etiam est, quod in praefamine diximus Spiritum S. DEI Majestatem cum arcus caelestis pulchritudine conferre *Ezech: i. v. ult: & quod Virgilinus canit:*

*Ergo Iris croceis per caelum roscida pennis  
Mille trahens varios adverso Sole colores  
devolat &c.*

Hi autem Iridis colores non sunt veri sed apparentes, perinde ut alii, qui in ejusmodi *φαινόμενοι* conspiciuntur,

§. 22. De numero autem colorum in Iride magna inter eruditos invenitur discrepantia. *Aristoteles* pronunciat, necesse est ut Iris sit *τρίχρωμη* tricolor. *Keckermannus System. Phys. p. 806.* perpetuum & principalem constituit triplicem, puniceum, viridem & caeruleum, minus principalem flavum ex commixtione punicei seu rutili, & viridis resultantem. *Alii* quinque ex Scriptura colligunt, glaucum, flammeum, purpureum, electrinum & Smaragdinum. *Alii ex Ezechielis cap. 1. v. 27. & 28.* duos saltem statuendos autumant, candidum nempe & purpureum sive aqueum & igneum. Probabilior his omnibus esse videtur Aristotelis sententia triplicem in Iride asserens colorem, non tamen exclusis reliquis, qui ex conjunctione horum deinceps oriuntur ac nobis quandoque apparent. De principalioribus enim ac semper apparentibus, quoties Iris apparet, hic est quaestio.

§. 23. Oritur verò hæc colorum diversitas tum ex variâ & diversâ aquearum guttularum affectione ac situatione cum Solis in eas irradiatione quæ varios in eis tanquam in speculis diversis opparentes excitat colores. Quemadmodum enim in Solis ortu atque occasu, prout variæ sunt affectæ nubes quæ Soli opponuntur, varii in illis generantur colores, ita etiam in Iride, prout diversæ dantur guttularum partes, diversa ratione accipitur Solis Lux diversiq; excitantur Colores tanquam in speculis diversis. Accipias enim duo specula fracta, quorum unum altero sit tersius dum utrumque inspicias, vari-

B 3

os tibi



ostibi referri colores ab utroque experieris, quia variè illa sunt affecta & parata. Quemadmodum etiam in collo anatum, columbarum & Pavonum diversi cernuntur colores propter pennarum inæqualitatem: ita guttulæ aqueæ diversæ cū lumine Solis diversos colores in Iride efficiunt.

*Artic: 4. sistens Causam Efficientem.*

§. 24. *Causa efficiens Iridis alia prima, alia secunda. Prima est ipse Deus gloriosus. Sicut enim nihil fortuitò atque casu in mundo existit, ita nec Iris forte fortuna facta est. Sed est Dei Creatoris opus ceberimum. Hic enim in prima creatione sextidua ordinem causarum naturalium instituit & adhuc conservat, quibus mediantibus deinceps Iris suo tempore producta est. Quod ipsum expressè testatur divinum Dei effatum Gen: 9: descriptum. Ego do arcum meum &c: Secunda causa iterum est vel remota, vel propinqua. Remota est Sol & Luna hinc Iris à quibusdam distinguitur in solarem & Lunarem. Iridines insolentiores sunt longè & albicant magis cū quia sufficienti luminis efficacia plerumque destituuntur, tūm quia pauci etiam nocturnis speculationibus vacant, ideò tam rarò videntur.*

§. 25. Nobis hac in parte se opponunt *Plinius Lib. 2. c. 59.* qui Irides lunares pro maris commentis habet, & *Cælius*, qui negat Lunam posse Iridem facere teste *Ionstonio in Taumatagr: naturali p. 117.* His etiam annumerandus venit *Theophrastus Paracelsus* qui causam Iridum ad alias stellas promiscuè refert ac 40. septimanarum spatium ad eam adornandam requirit. Utraque verò Sententia à verò abluere videtur. Prima quidem ideò, quia contra manifestam experientiam ac doctorum virorum pugnat testimonia sine sufficienti fundamento. Quod rarò fit, id tamen unquam fieri posse negandum non est. *Aristoteles Lib: 3. Meteor: intra quinquaginta annos duas saltem lunares conspectas esse asserit. Combachius anno. 1609. Mense Junio, Oxoniæ talem vidit. Anno. 1699. media æstate noctu post ingentia tonitrua, fulgura & fulmina pluviæque cessante jam tempestate, inter Septentrionem & ortum insignem vidimus coloris pulchritudine & splendore, cum nonnullis solaribus certantem, verba sunt B. Sennerti in Clav. Scientiæ nat: Lib: 4. cap: 9. p. 347. Albertus Magnus Lib: 3. tract: 4 cap: 22. scribit ejusmodi Lunæ arcum non apparere continuum ut Solarem, sed lineas intermediâs nigras continentem, quod tamen perpetuò verum esse non videtur. Luna autem non aliter potest generare Iridem, nisi plena ac super horizontem sit, undè semper Iridem pingere nequit. Altera Sententia in eo peccare videtur, quòd stellis tribuat id, quod eis nullo modo competere potest. Quâ de Re B. Sennertus loco citato ita habet: Stellarum radii secundum mundi diametrum ad nubes extendi atque inde reflecti non possunt. Solis quidem quia fortissimi, Lunæ verò quia vicini, reliquarum verò stellarum radii aut sunt nimis debiles, aut nimis remoti. Vel si sunt ita fortes ut permundi Diametrum pertingere possint, adeò tamen fortes non sunt, ut possint inde ad visum nostrum reflecti.*



§. 26. Proxima causa est irradiatio guttularum Solis aut Lunæ directæ oppositarum sive radii Solis & Lunæ fracti atq; reflexi de quibus quo pacto hic sese habeant, vide apud Opticos & B. Sennertum loco citato.

Artic. 5, addens causam finalem.

§. 27. Θεός ἡμεῖς ἢ φούσας ἔδει μάλιστα τοῖς ἑσπέραις inquit Scaliger Exerc. 297. Sect. 2. Quod ipsum ut verum est de omnibus quæ sub Cælo sunt, ita etiam cum primis de arcu nostro tricolori id dici potest. Finis autem ejus alius est *Physicus* alius *hyperphysicus*. Ad *Physicum* spectat, quod sit naturale tempestatis signum ex plurimorum Philosophorum assertione. *Plinius* quidem videtur Iridem nullius rei certi signum constituere, quando scribit Lib. 2. cap. 59. Arcus vocamus extra miraculum frequentes & extra ostentum, nam ne pluvias aut serenos dies cum fide portendunt. *Seneca* autem Lib. 1. nat. quæst. cap. 6. putat Iridem portendere variam aëris tempestatem prout variè in cœli regione apparuerit. *Scaliger* vult Iridem matutinam portendere pluvias, vespertinam verò serenitatem, quarum illa imbrifera, hæc solifera dici consuevit. Hinc *Ovidius* 1. *Metamorph.* canit:

Nuncia Junonis varios induta colores

Concipit Iris aquas, alimenta que nubibus affert.

§. 28. *Hyperphysicus* Iridis finis est, quod debeat esse *μνημόσυλον* & infallibile signum promissionis divinæ de non amplius immittendo diluvio universali. Hinc versus habetur ille vulgaris:

Ne timeant imbres, datus est in nubibus obses.

De hoc agitur in *Capite Geneseos* 9. prolixè §. 3. seq. Ubi Deus dicit: se arcum suum ponere in nubibus ut sit signum fœderis inter eum & inter terram &c. Circa quem textum animo atque voce execrandæ sunt horrendæ atque diabolicæ illæ *Luciani* blasphemiam quando in hunc locum scribit: obliviosus erat Deus & emortua memoria arcum posuit in nubibus qui Iris dicitur, unde commoneatur non amplius humanum genus delere diluvio, quid agat omninò nesciens, cui merito opus sit assiduo monitore. Ex ipso autem contextu patet Deum non sibi ipsi, sed nobis, à quibus arcus ille conspiciendus est ponere monumentum, Recordatio verò DEO non tribuitur hic *θεοπροπαιδις* sed solum *ἀνθρωποπαιδις* ut loquuntur Theologi, quorum est, ea quæ hic ex occasione obiter recensemus, persequi pluribus.

§. 29. Dubium autem est, utrum Iris pactum Dei designet & obsignet naturaliter, num verò supernaturaliter? *Thomas de Aquino* Lib. 3. artic. 30. & *Cajetanus* volunt esse signum naturale diluvii nunquam futuri ita colligentes: ad diluvium opus est multæ & crassæ nubibus quæ in magnam pluviam resolvantur & tales Iridi repugnant, quippe quæ non oritur, nisi in nube crassa, sed rorida, opaca & concava ex radiorum Solis oppositi reflexione. *Lyra* *Tostatus*, *Iohan. Baptista Porta* in *Magia naturali*, *Cornelius à Lapide* rectius statuunt Iridem non esse signum naturale, sed voluntarium ad beneplacitum unius Dei compositum. Appositè hæc de re *Cornelius à Lapide* loquitur; Iris signum est non futuri diluvii quod in nubibus ponitur, quia ex nubibus aqua diluvii delapsa sunt, & ex his rursus metui posset diluvium. Unde ne id metuamus contrarium in hisdem nubibus ponit DEUS hoc Iridis signum. Et per naturam Iris potius est



est signum effusionis pluviarum prout nimirum in cerra mundi plaga  
apparet, tantum ergo abest, ut perse ac ex natura sua tale quid sibi con-  
trarium indicare possit.

§ 30. Cum hoc respectu autem ac officio hyperphysico, num Iris simul  
esse caperit, num vero sine hoc respectu etiam ante diluuium fuerit in u-  
tramque partem inter eruditos disputatur. Probabilior nobis posterior  
videtur Sententia asserens Iridem ante diluuium fuisse, post diluuii vero  
tempora in novo mundo respectum hunc ei accessisse, quod debeat esse  
Symbolum misericordiae divinae. Hinc recte Pelargus p. 207. Ad physi-  
cam illam ἐμφασις accessit notio alia praenaturalis, ut jam Iris non sit  
simplex μετέωρον, sed Sacramentum, siue perpetuum & certum Sigillum  
fœderis, quod est inter Deum & homines denon amplius destruenda in aquis  
terra. Certum omnino est Iridem esse in se & sua uatura consideratum  
extra hunc respectum, meteorum physicum & a causis naturalibus pro-  
ueniens, sicut etiam nunc hodie est, omnibus extra Ecclesiam consti-  
tutis, adeoque spectare ad reliqua quae Deus in ἐξ ἀρχῆς creavit aut  
concreavit. Ex pressè autem dicitur Gen: 2. quod Deus quieverit a cre-  
atione omnium rerum die septimo. Quomodo autem verbis his sua  
constaret veritas si Iridem tanquam naturale ac ordinarium Meteorum  
post diluuium demum creasset, & de novo produxisset? Praeterea nul-  
la causa ante diluuium defuit quo minus Iris generari aut fieri potuerit.  
Non enim aquae guttulae defuerunt, non Sol, non locus ut e regione  
adversa potuerit collocari, in quibus arcum depinxerit. Sicut ergo  
lapis longè existere potest, antequam sit limes: pari ratione Iris longè  
ante extitit, licet initio non habuerit illud officium. Contrariae sen-  
tentiae rationes in ipso disputationis conflictu videbimus, quibus hic sa-  
tis facere paginarum pro hibet angustia.

§ 31. Primarius finis atque utilitas Iridis fuit haecenus. Secundario  
Iris variis varia indigitat. Eucherus, Strabus, Albinus, D. Gregorius &  
alii tradunt (citantibus conimbricentibus) istius modi arcu duplex de-  
notari diluuium, alterum aquae jam praeteritum, quod restetur color  
caeruleus, alterum ignis futurum, quod rubeus color praedemonstret.  
Alis ipsa caelestis arcus figura Dei simul clementiam & severitatem an-  
te oculos ponit: Severitatem, quia est instrumentum adferendum,  
clementiam vero quia arcus sit, careat tamen sagittis quibus impetat;  
& in versus est, nec Chordam ad terram sed ad Coelum directam habet,  
quia hinc scelera nostra jaculis eum ad vindictam armat. D. Hieronymus  
in eap: 3. Lament: Jerem: ait: per arcum iudicii diem designari. quia  
ut in arcu, quanto longius trahitur Chorda tanto de ea districtior exit  
sagitta, : Sic extremi iudicii dies, quando longè differtur ut veniat,  
tanto cum venerit de illo districtior sententia procedet. Talia plura qui  
desiderat, adeat Officinam Biblicam Admodum Reverendi Dn: D.

Waltheri Reposit: poster. theca. i. p. 733. seq. Nos manum  
hic de tabula sumimus repetentes consuetum  
nostrum Dei Eulogium.

**SOLI DEO GLORIA.**





05 A 1681

ULB Halle

3

003 779 211



Wong


Del.











25.  
Q. D. B. V.  
EXERCITATIONEM METEOROLOGICAM  
DE

# IRIDE

*In illustri ad Albim Athenæo*

A. D. XXVIII Decemb.

A. S. M. DC. LIX.

Horis Matutinis in Auditorio Minori

disquisitioni sistent publicè

PRÆSES

M. JOHANNES CHRISTO.  
PHORUS LETSCHIUS

Monsterberga Silesius

&  
RESPONDENS

JOHANNES SCHRÖTERUS

Brega Silesius.

---

VVITTEBERGAE,  
Typis Johannis Haken.